

36d

37
Ba

George Frederic
de Boortel

+

COLLEGGII

POLITICI

DISPUTATIO QUARTA,

De

FAMILIA, PAGO, ET
CIVITATE,

Quam,

In Florentissimâ, Celeberrimaq; Mar-
chicorum Academiâ,

DEO Ter optimo Maximo adspirante,

Nobilissimâ Facultate Philosophicâ suffragante,

PRÆSIDE

VIRO Praclarissimo

M. ELIA GREBENIZ,

Regiomonto-Marchico, Fautore & Præce-
ptore suo ætatem devenerando,

Ex Praelectionibus Ejusdem collectam dispu-
tandam proponit

ad diem 4. Martii loco horisq; constitutis,

JOHANNES MATTHIAS POLENIUS,

Berolin. March. AUTOR.



Prælo ERASMI RÖSNERI,

Anno 1654.

COLLEGIUM

POLITICUM

DISPUTATIONUM

FAMILIA PAGO ET

CIVITATE

In hoc tractatu, Celserrinae, Mar-

burgensi Academiae

DEO IN OMNIBUS HONORIBUS

et Nobilissimi Facultatis Philosophicae Professores

PR. ESIDE

VIRI PRAESIDI

M. ELIA GERBERNIX

Regionibus Maritimo, Campano, et

Apuliano, et

Ex Praedictis Regionibus Praedictis collectis

libris

ad hunc & Martii loco horum, continens

IOHANNES MATTHIAS POLBNIUS

Beolin. M. d. C. LXXV.

Ersto ERASMI ROSNERI

Anno 1624.



Naturam providam illam rerum dispensatricem omnibus in rebus ab imperfectioribus ad perfectiora tendere, nemo emunctioris naris inficias ibit; Utque tum communi omnium, tum ipsius Eloquentiæ Parentis suffragio comprobatur, cum *lib. 5. de Fincit* rerum omnium principia parva esse, sed suis progressionibus usa augeri. Idem in præsentibus deprehendimus argumento: Quemadmodum enim ex minimo sæpè grano maxima oritur arbor, ita quoque civitatum amplitudo ac splendor ex parvis initiis originem ducere consuevit; quippe ex Domo fluit familia, ex familiâ pagus, ex pago civitas. Hæc Divino implorato auxilio jam temporis contemplanda suscipiemus.

Sectio I.

§. 1. Ponderatâ *Societate Simplicè*, offert se *Composita*, quæ vel *Particularis* est, vel *Universalis*. De *Particulari* in præsentiarum nobis agendum erit. Dividitur hæc in *Familiam*, *Pagum*, & *Civitatem*, atque adeo primum sibi locum vendicat *Familia*. Cum verò qui naturam vocabulorum, ex quorum intelligentiâ rerum cognitio pendet teste *Platone in Cratyl.* negligit, ille cum vulpe *Æsopica* externum vas lambit, interiori autem pulcem attingere nequit, *Beindorff. discurs. Jur. Publ. 6. thes. 2.* Nam æquivocationi errorum generatrici illaqueatur. Igitur priusquam ad ipsa adyta thematis penetremus, indolem nominis intueamur. Designat *Familia* vel *Rem Familiarem*, ita *JCti* dicunt familiam herciscere i. e. bona familiæ dividere; *Vel sectas & collegia*, ita dicimus *Familia* *Gladiatorum*, *Familia Peripateticorum* &c. *Vel Personas* unius ejusdemque stemmatis, quæ aliàs consanguinei audiunt; *Vel illam societatem*, quæ composita est ex societate nuptiali & herili. Nos rejectis prioribus posteriorem amplectimur significationem; Dicitur aliàs *Domus* 1. *Pol. 2.* procul dubio quia hujus societatis personæ

sonæ unâ in Domo habitare solent: unde & illas Charondas ὁμο-
 σιπύς, id est ex eadem arcâ panariâ viventes, Epimênides verò ὁμοκά-
 πύς s. eodem foco & igne utentes vocavit. Definitur *Domus* s. *Fa-*
milia à Philosopho 1. Pol. 2. & 7. κοινωvία ἐκ τῆς κοινωvίας γαμικῆς
 καὶ δεσποτικῆς πρώτης, φυσικῆ καὶ μοναρχικῆ ἕως πᾶσαν ἡμέραν σύ-
 νεσκηvία, id est: *Societas ex societate nuptiali & herili prima, natura-*
lis, & monarchica, ad quotidianum usum instituta.

§. 2. *Materiâ ex quâ constat Domus, sunt Societas Nuptialis &*
Herilis, adeoque Maritus & Uxor, Dominus & Servus: Ut enim
Nuptialis sine marito & uxore, Herilis sine Domino & Servo con-
sistere nequit, ita nec familia sine illis: Ex his enim duabus societa-
tibus (nuptiali sc. & herili) domus est, 1. Pol. c. 2. Ad omnem itaq; fa-
miliam tres minimum personæ requiruntur, quia enim diversi non
sunt maritus & dominus, ideò tres sufficere & minimum requiri
adparet. Errat igitur Bodin. 1. de Rep. c. 2. dum ad domum quinq;
personas arbitratur esse necessarias. Neque patrocinator Bodino
Aristoteles, quando 1. Pol. c. 3. familiæ partibus maritum & uxo-
rem, dominum & servum, Patrem & liberos annumerat; Licet
enim liberi pars familiæ esse queant, ejus tamen pars essentialis non
sunt. Certus autem & determinatus Personarum in domo nume-
rus non est, cum ita tres requirantur personæ, ut & plures servi &
liberi adesse queant, quare & meritò reprehendit Arist. 1. Pol. 1 eos,
qui societatem herilem & Domum multitudine & paucitate differ-
re putabant. Cellar. l. 1. Pol. c. 5. §. 5. & 6. Quidam verò Servum
ex familia tanquam partem eliminare conantur, ex Philosophi de-
finitione, quam tradit 1. Polit. cap. 4. 5. & 6. eliciunt, Servum esse
instrumentum Oeconomix, Instrumentum autem non posse esse
partem rei ipsius; Verùm de servo quatenus est persona domesti-
ca, nego: de servo, quatenus est instrumentum Oeconomicum,
concedo.

§. 3. *Potissima Persona est Paterfamilias, cujus nutu*
constituitur familia & conservatur, qui idem est, tantaque uti-
tur potestate in Domo suâ, quanta Rex in regno suo, cui etiam
tota incumbit familiæ sustentatio. Non verò omnibus dome-
sticis una prætest ratione: Aliter imperare debet, ut Dominus
Servo, aliter ut maritus uxori, aliter ut pater liberis. 1. Polit. c. 13.
 Et

Et quidem seruo imperare debet *δεσποτικῶς*, dominicè. 3. *Polit. cap. 6.* uxori *πολιτικῶς* Politicè. 1. *Polit. cap. 12.* Liberis *βασιλικῶς*, Regie. l. c. Quo jure itaque conqueratur *Bodin. 2. de Repub. cap. 2.* Rationem gubernandi domum omninò ab Aristotele esse omissam, constat. Minimè tamen hinc sequitur fati concessio marito Uxori Domus administrationem non competere; quippe unius positio non est alterius negatio, imò adhuc vivo marito de gubernatione participare luculentissimè Sacra probat Scriptura, quando eam vocat adjutricem viri *Gen. 2.* quando varia fœminis illis encomia tribuit, quæ curant rem familiarem, à marito parta aptè disponunt, sollicitè custodiunt, & prudenter administrant *Prov. 31.* Qui verò contrarium suadent, hoc potissimum nituntur fundamento, nimirum, fœminam esse mutabilem, imprudentem, & ipsam egere correctione; sed si hoc valeret, nec in viros rei familiaris administratio cadere posset, cum non pauci eorum sint vel cortice leviores, ac quibuscunque vitiis conspurcati. Nec valet, virum dominari fœminæ. *Genes. 3.* Et illam esse subditam viris. *Petr. 1. ep. 3.* Quia nos non spectamus mulierem quâ ad virum, sed quâ ad familiæ administrationem refertur, quomodo obtinet imperium divisum cum marito. *Arnif. lib. 1. doctr. Pol. c. 3. p. m. 67.*

§. 4. *Materiam ex Quâ* recto tramite excipit *Materia circa Quam* occupata est familia, est quæ vel Res, vel Actio. Res (distinctionis gratiâ cum auctario nominata) *Familiaris* est multitudo bonorum externorum ad familiam honestè sustentandam ac conservandam constituta. Bona hæc omnia faciunt vel ad vitam, quibus tanquam sanguine alitur vita temporalis, vel ad ornatum & splendorem, quibus concomitata conspectiora redduntur; In omnibus enim rebus Naturam & Artem non tantum necessitatis, sed etiam dignitatis & venustatis rationem habere manifestum est. *Heider. System. Pol. c. 1. p. m. 31.* Bona sunt vel *Naturalia*, vel *Artificialia*; *Naturalia* rursus vel *Inanimata*, vel *Animata*: *Inanimata Immobilia* sunt agri, horti, prata, piscinæ &c. *Mobilia* sunt *virtualia*, supellectilia &c. *Animata* sunt omnis generis bruta *Oeconomix* inservientia. *Artificialia* sunt domus, nummus, &c. Bona verò hæc in Familia communia esse nisi *κτῶσθαι*, tamen *χρησθαι*, putamus.

§. 5. *Actio* instituitur vel circa *Rei Familiaris acquisitionem*, vel circa *acquisite administrationem*. In acquisitione præprimis Patrisfamilias spectatur cura, ut ad vitam domesticam benè colendam necessaria atque utilia colligat. Fit autem hoc *Mediis* vel *Naturalibus*, quæ natura ad comparandum victum homines docuit, qualia sunt Agricultura; Pecuaria, Venatoria &c. vel *Artificialibus*, quibus homines industria ex arte aliquâ inventa bona illa externa acquirunt, ut sunt *Negotiatoria* & *Operaria*. Cum verò summa sit stultitia, summo cum ardore parta summâ postea cum negligentia amittere *Gvevar. Horol. Princ. l. 2. c. 23.* nervos omnes Patremfamilias intendere oportet: (Non enim minori negotio bona hæc tumentur, quàm comparantur *Cit. Verr. 5.*) ut illa conservet, tum 1. *Curâ tuendi*, quando de amplificandâ familiâ diligenti animo cogitat, ac mala omnia, quæ corruptionem minitari videntur, averruncat & propulsat. Tum 2. *curâ bene & prudenter utendi*, quæ in moderatâ bonorum acquisitione in omnes res, quæ vel ad vitam vel ad ornatum pertinent, consistit.

§. 6. *Formam* spectat *conjunctio* vel *Societas*, quæ collocata est in recto unius Patrisfamilias imperio, uxoris & servi subjectione, rerumq; ad familiæ sustentationem necessariarum administratione. Dicitur 1. *Prima*, non absolutè sed respectivè ad alias societates, quarum illa quasi *Causa* est, ex multis enim domibus *Pagus*, & inde coalescit *Civitas*: *Causa* autem nisi prior esset suo effectu, esset aliquid, antequam esset, hoc autem si valeret, aliquid, simul esset & non esset: Quod quàm impossibile docent *Metaphysici*; 2. *Naturalis*, quia simplices societates, quæ sunt inter maritum & uxorem, dominum & servum, naturâ suadente illam societatem extiterunt; Cum verò *Domus* ex his propullulat, talis quoque sit necesse est, 3. *Monarchica*, quia in re familiari imperium est unius, nam ab uno regitur omnis *Domus*. *Arist. 1. Pol. 7.* *Natura* enim in omnibus rebus *Monarchiam* constituit: Inter lapides adamantem, inter quadrupedes leonem, inter aves aquilam, inter Sydera Solem Principatum tenere voluit. *Patric. l. 1. de Regno tit. 13. Heider. System. Pol. t. 6 p. m. 817.* Hanc verò gubernationem non esse *Monarchicam* suaderetur, quia etiam uxor dominaretur & administraret quomocunque familiam. Contra: Hanc quidem gubernationem

gubernationem non totam esse Monarchicam, non verò prorsus non esse Monarchicam evincitur, quia quædam potestas domestica est Monarchica, quædam Aristocratica.

§. 7. *Finis Familie* est quotidianus vitæ usus: Nam quia, ut tradit *Thomas* citante *Cellar. l. 1. Pol. c. 5. §. 9.* omnis humana communicatio est secundum aliquos actus, inter quos quidam sunt quotidiani, ut comedere, ad ignem cale fieri, quidam non quotidiani, ut mercari, pugnare; naturaleq; est hominibus in utroque genere se invicem juvantes, operam sibi communicare: Societas hæc seu domus secundum naturam constituta est in omnem diem i. e. ad actus, qui quotidie agendi occurrunt.

Sectio II.

§. 8: *Ex Domo* componitur *Vicus* s. *Pagus*; quæ non nulli discernere putant domorum s. familiarum magnitudine & frequentia, ut ea minor in vico sit, major in pago; Verum hæc minutia non opus est diligentia. *Heider. System. Pol. c. 1. p. m. 37.* Sumitur autem *Pagus* vel pro collectione plurium vicorum & oppidorum, ut constat ex *Cesar. l. 1. de bello Gallico*; Vel pro certa societate familiarum imperfecta, quomodo h. l. accipitur; Dicitur ita ἀπὸ τῆς πληθῆς, pro quo *Dorici* πλῆθῆ: Nam qui vicini aut alii homines ex diversis agrorum partibus, prædiis & ædificiis ad aquam ex eodem & communi fonte hauriendam conveniebant, pagani primitus sunt appellati juxta *Hænon. Diss. Pol. n. th. 6.* *Vicus* nuncupatur, vel quod rusticis sit vice civitatis secundum *Isidorum lib. 15. Etymol.* Vel, à via circum, quod vicinitati nomen dederit juxta *Varron. lib. 4. de L. L.* Definitionem talem concinnat *Arist. d. l. κώμη κοινωσία πρώτη ἐκ πλείονων οἰκιῶν, κατὰ φύσιν θέσεως μὴ ἐφ' ἑνὸς ἕνεκα* i. e. *Vicus est Societas ex pluribus domibus prima, secundum naturam, non usus quotidiani gratia.*

§. 9. *Materia* sunt plures *Domus*, ex quibus constat. Utenim *Domus* sine societate herili & maritali, ita quoque *vicus* sine pluribus domibus consistere nequit. Unde ab *Aristotole* indigitatur *1. Pol. 2.* propagatio quædam domus eorum, quos dicimus *co-*
alicos

alitos & natos natorum. Hinc *Vicus* Aristoteli nihil aliud est, quam colonia Domus: Qui enim in eodem vicodegunt ὁμογαλάκτες vocantur, seu collactanei & eodem lacte, eadem in domo nutriti, hoc est, filii & nepotes, qui propter multitudinem, apicularum & avium instar, in alias atque alias demigrare domus coguntur, *Heider. System. Pol. c. 1. p. m. 38.*

§. 10. *Formam* sistunt verba illa definitionis, quibus dicitur esse *prima societas secundum naturam* *Arist. 1. Pol. 2.* non quidem simpliciter, sed respectu civitatis, quod ex πρώτως naturalibus societatibus originem sumat.

§. 11. *Finis* sunt *actus non quotidiani*: Ut enim familia ob actiones quotidie necessarias instituitur; ita pagus ob actiones, quae tantum quandoque sunt necessariae, & urgente necessitate obeunda veniunt. *wendeler. l. 2. Phil. Pract. c. 2. §. 3.*

§. 12. *Keckermannus* cumque eo *Heiderus* ratione materiae *Vicum* efficiunt duplicem: *Gentilitium & Extraneum*. *Gentilitium* ex iis confluit, qui propinquitate sanguinis se invicem attingunt; *Extraneus* est, quem homines diversae originis constituunt, qualis hanc hominum aetate est frequentissimus. Ille dicitur *Vicus primae*, *Hic secundae formae*. *Cellar. 1. Pol. c. 6. th. 4.*

Sectio III.

§. 13. *Civitas* accipitur, vel *Generatim*, de alicujus regni, aut provinciae, aut nationis totius societate, quae communi jure continetur; vel *Speciatim*, de certa vicorum congregatione; Qui significatus praesentis est instituti; *Immediatam* a civibus, dicta quasi civium unitas, & *mediatam* originem arcescit a coeundo, quod cives unum in coetum coeant, & legibus iisdem vivant. Appellatur etiam *Urbs* vel ab orbe vel ab urbo, quod est aratri flexura, indeque urbare idem quod arare, vel aratro definire. *Schönborn. Pol. lib. 1. c. 14.* Cum olim in condenda urbe aratro in orbem circumducto loca murorum designarent, referente *Caelio Rodig. l. 14. c. 1.* Ea propter haec vox πρώτως instituta est ad denotandum locum, aedificiis & muris exornatum, quem cives incolunt: Ut
Civitas,

Civitas & urbs in eo differant, quòd civitas ipsos cives, urbs habitationes civium significet; Quod non animadverterunt Chartaginenses, promissam de civitate salutem interpretantes de urbe. *Appian. in Lybio.* Sed hoc non est perpetuum; Illud verò semper valet quòd urbs pro civitate supponens inferat locum simul. Oppidum item vocatur vel juxta *Varronem l. 4. de L. L. aut* ab efficiente, quod opus eo sit ad vitam gerendam, *aut à medio*, quod opere & labore extruatur; vel juxta *Isidor. l. 15. orig. c. à Fine, aut* ab opponendo, quod hostibus opponatur & objiciatur munimentis circum, *aut* ab opibus recondendis, cum eò securitatis causa convehantur; Vel juxta utrumquè ab ope ferendâ & sustinendâ; Hoc fine enim civitates muris circumvallantur, ut ipsarum ope hosti resistamus, & incursionum hostilium tuti evadamus: Quam rationem præfert & inter *JCos* obtinuisse testis est. *Pomponius in l. pupillus 239. §. 7. ff. de V. S.* Quantitate oppidum & Urbem differre, ut oppidum sit minus, arbitratur *Hænon. Diss. Pol. 11. §. 11. Althus.* definit oppidum pagum ampliorem *c. 5. Polit. Danæus* autem Urbem & Oppidum pro iisdem habet *lib. 1. Polit. Christian. cap. 3. adde Heider. d. 1.* Definitur autem *Civitas 1. Pol. 2. ἡ πόλις κοινωνία ἐκ πλειόνων κωμῶν τέλει, ἥδ' ἡ πάσις τῆς αὐτοκρατίας. πέρασ ἔχουσα, γενομένη μὲν ἐν τῷ ζῆν ἐνεκεν, ὅσα τε τῷ εὖ ζῆν. i. e. Civitas est societas ex pluribus pagis perfecta, omnis penè sufficientiæ finem habens, orta quidem causa vivendi, permanens autem benè vivendi causâ.*

§. 14. Et hanc societatem esse naturalem probat Aristoteles *1. Pol. c. 2.* Quia 1. primæ societates, ex quibus nascitur & continetur civitas, à naturâ sunt; Jam autem Totum sequitur naturam partium & compositum simplicium. *Arist. 1. Pol. c. 13.* 2. αὐτοκρατίας civitatis Natura maximè intendit & spectat; Jam autem Natura finis est, & finis est Natura. E. Civitas itaq; Naturalis est Efficiente, quia Naturâ ad societatem civilem vehimus; Materiâ, quia constat ex partibus, quæ & ipsæ naturales sunt, Formâ, civitatis enim ordinem & descriptionem Natura nobis infixit, & in apium Republica delineavit; Fine, quia beatitudinem naturæ instinctu appetimus. Hoc tamen ita est intelligendum, civitatem quidem Naturæ originem debere, ut nihilominus arbitrio & prudentiâ ho-

B

tiâ ho-

tiâ hominum sit constituta, informata & perfecta; non aliter, ac in virtute morali contingit, quo de 6. Ethic. cap. 13. Confer Heider. System. Pol. c. 1. p. m. 41.

§. 15. *Materia Civitatis ex Quâ sunt plures pagi, ex quibus civitas constituitur, quemadmodum pagus ex pluribus domibus, quapropter etiam aliquando ex domibus constare dicitur, ut 4. Pol. 3. Sicut autem Civitatem dupliciter accipi diximus: 1. Generatim pro societate quâdam similium in Rep. à quâ differt per modum Denominati à Denominativo. 2. Speciatim pro certâ societate Specialiùs in se determinatâ & constitutâ, quomodo est pars prioris Societatis, & ad eam constituendam concurrit. Ita etiam Civis ipsius conjugatum dupliciter sumitur: priore modo civis est, quicumquè communiter jurium alicujus Reip. est particeps, cujusmodi Cives sunt Cives Imperii Romani. Posteriore autem modo tantum Cives sunt, qui determinatæ alicujus & peculiaris, non absolutæ & in se desinentis Societatis immunitatibus, juribus, privilegiis respectu certi loci aut urbis constitutis gaudent, ut cives Francofurti, aut Berolini degentes. Deinde Civis est vel *Simpliciter talis*, vel *secundum quid & imperfectè* 3. Pol. 1. & 5. *Simpliciter Civis* est omnium civitatis jurium particeps; *Secundum quid*, tantum versatur in civitate, vel tantum unâ aut alterâ fruitur immunitate, ut sunt mulieres, pueri &c.*

§. 16. *Definitio Civis* varia ab Autoribus affertur: *Arnif. l. 1. Polit. c. 6. p. m. 104.* hanc Definitionem rectam judicat: *Civis est socius, qui cum suâ familiâ in societate familiarum bene vivere intendit.* Sed nos ipsi calculum addere non possumus, quia civem conjicit in paganam multitudinem, est enim illa definitio nimium ampla. Adjicit quidem *d. l. Aristotelem* in Cive & hoc requirere, ut habeat jus suffragiorum - Unde *Cellar. l. 1. Polit. c. 7. th. 9. & wendeler. l. 2. Philos. Pract. s. 1. c. 2.* talem necunt definitionem: *Civis est socius multitudinis, qui particeps est suffragiorum & juris de Rep. statuendi.* Cum eis conspirant *Timpler. l. 1. Polit. cap. 3. Dan. l. 2. Pol. Christian. c. 4. Hænon. Disp. Polit. 1. th. 8. &c.* Has tamen Definitiones non possumus agnoscere, cum Civem ratione Reip. penitent,

sirent, quæ consideratio jam aliena est: Neq; succenturiatur ipsis Aristoteles, his enim verbis definit *3. Polit. c. 1.* Civem: ὁ πολίτης μελέχει κρίσεως καὶ ἀρχῆς, i. e. *Civis est is, qui particeps est judicij & gubernationis.* Neque est quod quisquam objiciat ipsum Aristotelem considerare civem, prout in Rep. est, teste contextu R. enim. Civem considerat non quatenus in Republicâ jam constitutus, sed ita, ne illius conditioni adversetur, & eam ingredi minùs possit. Instas: Ubi gubernatio & Magistratus, ibi est Respublica. Contra: Ubi gubernatio suprema, concedo; aliàs nego.

§. 17. Definitionem hanc mire exagitat *Bodin. l. 1. c. 6.* ob has rationes: 1. quia saltem in populari statu locum obtinet; Quod ipse Aristoteles inficiari nequit, dum l. c. inquit: *διόπερ ὁ λεχθεὶς ἐν μὲν δημοκρατία μάλιστα ἐστὶ πολίτης, igitur jam dictus in Democratia maxime est Civis.* Imò ne quidem in Democratia, cum in Atheniensium Rep. ad conciones non universus populus admissus fuerit, nec Magistratus adegerit. Id quod rursus ipse Aristoteles confiteretur. *In quibusdam enim civitatibus neque populus est, neque concionis usus &c.* inquit d. l. 2. Illa Definitio posset tuba esse multarum seditionum, bellorum civilium & stragum in Rep. cum vulgus ab omni imperio submotum jure simul civitatis privaretur, quod non posset non graviter molesteq; ferre, indeque occasionem vindicandi quærere. 3. Homines plebejos non dicere cives, nihil est aliud, quam ignobiliores partes corporis membra esse negare. Ad hæc ex *Heidero* posset ejusmodi Responsio colligi 1. In Disputationibus Practicis, descendentibus ad singularia, difficillimum esse, imò propemodum impossibile καθόλου extruere: Cum itaque nemo Politicorum novisse queat, omnium civium & civitatum varietatem, plenam inductionem non confici posse, & sic hanc definitionem correctione indigere juxta ipsum *Arist. d. l.* Sed recipit correctionem quandam &c. 2. Periculum seditionis ipsum etiam Aristotelem animadvertisse, dum *3. Pol. c. 3.* Opifices & inferioris conditionis homines Cives, inquit, à superioribus vocari, ne quid turbarum cieant; Et infra suo loco singulis in Rebus p. hujus mali remedia colligit, 3. Non negari ab Aristotele etiam non ad

Magistratum admissos Cives, sed simpliciter tales esse. An illa nervum tangant, non est, cur prolixius inquiramus, videntur potius Rhetorica, quam Philosophica, præter quod ultima Responsio repugnet Aristoteli. Nos stamus ab *Arnis. lib. 1. Polit. cap. 6. p. m. 104. wendler. Philos. Pract. lib. 2. s. 1. cap. 2. in expl. §. 6. &c.* Aristotelem loqui adhuc de cive, Reip. Civitati nondum subjecto, tum enim ut cives omnes sunt æquales, ita & æquale jus obtinent in rebus communibus. *Heider. l. 6. inquit*, Civem dicere, ubi nulla est civitas, aut rudem, indigestam, quæ & confusam hominum multitudinem Civitatem vocare plus habere acuminis, si quid tamen habet, quam veritatis. Contra: *Crasse* velle in politicis vagari, plus habet temeritatis, quam amoris veritatis. Civitas licet non obtineat formam Reip. non tamen illico est rudis & indigesta confusio. Deinde Aristoteles loquitur non de actuali participatione, sed habilitati ejusdem, ut seipsum in fine explicat, verba ejus sunt: *Cui enim habitas est participandi potestatis publicæ deliberativæ & judicariæ, hunc civem esse dicimus ejus civitatis.* 4. Distingvimus inter Magistratum realem & Personalem; vel ut loquitur Philosophus, potestatem Reip. *ἐπιτομὴν & ἀνωγεισιν*. Ex dictis satisfieri potest Bodino, simul & definitio hæc intelligi. Addimus secundam objectionem in super laborare fallaciã accidentis. Ipse Bodinus talem supponit descriptionem: *Civis est homo liber, qui summæ alterius potestati obligatur;* Verum meritò flagellatur, nam 1. peregrinis, inquilinis, pueris, senibus, item virgulâ censoria notatis competit; Quos tamen ipse *Bodinus d. l.* è numero civium eximit. 2. Civis, qui in relatione ponitur, per absolutum, videlicet hominem definiri nequit. *Arnis. loco sæpius adducto.* Quæ regerit *Heider. cap. 2. p. m. 219.* non indigent responsione.

§. 18. Ut igitur aliquis civis sit non sufficit 1. cohabitatio, nec 2. fori s. judicii communio, nec 3. qualiscunquẽ jurium participatio, nec 4. necessaria pertinentia: Ut fusius docet *Philosophus d. l.* Hæc inquam non sufficiunt, licet adesse requirantur, ita cohabitatio omnino necessaria est, ut sc. domicilium quisquam habeat

habeat in urbe, non enim eatenus hoc intelligimus, ut statuimus, Cives semper praesentes esse debere in urbe, quomodo extra mœnia constituti cives esse desinerent, quod falsum est. Et sic numero civium excluduntur 1. Mulieres, 2. Servi, 3. Pueri, 4. Senes, 5. Inquilini s. advenæ, in civitate habitantes animi & negotiorum causâ, quales sunt milites, studiosi, mercatores. 6. Coloni, qui civitate explantati sunt. 7. Municipales, qui in urbe recepti, & suis legibus, magistratibus ac sacris gentilibus utuntur, ut Judæi. 8. Confederati, qui ex fœdere jus civitatis in quibusdam adipiscuntur. 9. Cives Honorarii, qui honoris ergo jure civitatis donati, sed in illâ nullos gerunt Magistratus. Sic cum civitas Romana communis erat plurimis in toto ferè terrarum orbe dispersis, qui tamen cum verè civibus nullam horum & magistratuum habebant communionem. 10. Infames. 11. Exules. Ubi tamen notandum hos non æquè à ratione civis recedere, sed quosdam magis, quosdam minus & propius accedere. Quæritur, an Opifices & Mercenarij Cives sint? Philosophus circa finem c. 3. l. 3. tractat hanc quæstionem, atq; eam in utramquè partem disputat. Deinde ubi suam de eâ sententiam explicat, hoc vix dicendum esse ait. Videatur *Wendeler. l. 2. Philos. Pract. c. 2. qu. 3.*

§. 19. *Cives & Civitatis jura acquiri possunt 1. Nativitate,* quâ cives sunt utroque parente vel patre cive geniti; Ubi tamen insuper requiritur justa ætas & cæteræ conditiones *ῥῶμῶν ἡλικία καὶ ἄλλα.* Non autem necesse est ut quoquè avi & proavi cives fuerint; Nam quia in civitatem qui primò venissent, cives non essent, nec ab illis cives nasci potuissent, ut tradit *Arist. 3. Pol. 2.* Non secus ut ad veram Nobilitatem non requiruntur avi, proavi & tritavi, cum ita primus verè nobilis non fuisset, nec nati deinceps tales possint esse. *Aristoteles* quidem *3. Pol. 1. & 4. Pol. 4.* requirit ut civis aliquis nascatur utrumquè parentum; Verum *Aristoteles* respexit consuetudinem. *Absolute* enim inquit *Canulejus* apud *Liv. l. 3. Patrem sequitur soboles,* & *l. 19. de stat. hom. scribit Jctus: Filij sequuntur conditionem Patris.* Pater enim caput familiæ est, & in suâ potestate habet filium. Alioquin duæ sæpe civitates disceptarent de cive ex

duarum civitatum civibus prognato, cum tamen distinctarum civitatum, nisi subordinatarum, nemo possit simul esse Civis. *Arnif. l. 1. Pol. c. 6. p. m. 111.* Quod in seqq. fusiùs demonstrat. *Confer. Cellar. l. 1. cap. 7. th. 13. Heider. c. 2. p. 228.* 2. *Donatione s. Cooptatione*, in quâ consultò procedendum, & mores adoptandorum diligenter pensitandi et ita amplificandæ Reip. conducit plures adsciscere *Cic. pro Balbo* refert hoc modo factum ut brevi civitatum multitudo & potentia Reip. Romanæ, supra quam dici potest, excreverit. Priori modo dicitur *civis Originarius*, posteriori *Assumptus*.

§. 20. *Quæritur autem. An Spurij jure Civitatis sint donandi?* Negant *Aristot. l. 4. Pol. c. 6. Casus in Spher. Civit. c. 6. Melch. Jun. part. 2. qu. Polit. 60.* Verùm *Hænon. disp. Pol. 2. th. 24. Hensler. Colleg. Jurid. Polit. disp. 1. th. 57. Besold. c. 15, §. 12.* non tantùm recipiendos, sed & ad honores admittendos esse existimant, si modò paternis vitiis sepositis virtutibus studeant. Hoc tamen non contrariatur *Aristoteli*, quippe qui communiora attendit; & exempla Spuriorum virtutibus excellentium non in exempla esse trahenda judicat *Heider. c. 2. p. m. 262.* quem fusiùs de hac quæstione differentem videtis *ibid.* *Peregrinos* verò non promiscuè, sed habitâ ratione loci temporis & personarum, quas præscribunt *Hænon. d. l. Schönborn. l. 3. Polit. cap. 34. &c.* admittendos esse censemus, idem de *Judæis* statuentes. An *Mendici, Carnifices, Hæretici &c.* jure Civitatis gaudere debeant vide *Heider. d. l.*

§. 21. *Officium Boni Civis* est omnia conferre ad utilitatem civitatis, omnia enim ipsi debet, quo de *Arnif. d. l. p. 112.* *Ordo Civium* non tam ad illorum dignitatem, quam ad conditionem & vitæ genus est accommodandus juxta *Bodin.* Quærit etiam *Arist. 3. Polit. 3.* Num eadem sit virtus *Viri Boni & Civis Boni?* Si Quæstio est de Civitate rectè instituta, *Virum Bonum & Civem Bonum* non differre constat, *3. Polit. c. ult. & 4. Pol. c. 7.* Aliter tamen se res habet in corruptâ civitate.

§. 22. *Forma Civitatis* vertitur in societate s. *communione omnium jurium & immunitatum*; Et quidem perfectâ, non simpliciter, cum *Resp.* longe perfectior sit, sed habito respectu ad *Domos & Pagos,*

Pagos, in quibus tam variorum ordinum, totque homines non sunt, quot ad rerum in vitam honestam requisitarum sufficientiam parandam opus est, quosque in civitate reperire licet. Unde ab Aristotele dicitur, *omnis penè sufficientiæ finem habere. Quomodo dicatur Civitas aliqua esse eadem & à se diversa, sc. non ratione loci s. materiæ, sed tantum formæ, docet Arist. 3. Polit. c. 2.* Notandum item Civitatem non facere mænia. Heider. c. 2. p. 224. Olim singulæ civitates à singulis Regibus gubernatæ sunt, *an ita feliciores futurae sint, discutit Keckerm. in præcognit. l. 1. Syst. Pol. p. 21.*

§. 23. *Finis Civitatis est commodè & honestè vivere. Est autem commodè vivere, earum, quæ ad necessarium vitæ usum requiruntur, rerum copiam habere. Honestè autem s. benè vivere est secundum virtutem vivere, uti constat ex 3. Pol. 6. Quæ ad vitæ & urbis commoditatem faciant, tradunt ex Arist. l. 7. Pol. c. 9. & 11. Tholos. l. 2. de Rep. cap. 1. & 10. Dan. l. 1. Polit. Christ. p. 69. & seqq. Schönb. l. 1. Polit. c. 14. & 15. Patric. l. 8. de Rep. Hanon. disput. Polit. 11. th. 13. & seqq. Cellar. l. 1. Polit. cap. 7. th. ult. & c.*

In Sublimiorem DEI
gloriam!

Intras

Intras subnixus propriomet cortice Pontum,
Et sacra Cirrhai culmina Montis adis:
Opto, tibi fausto Conatus sydere vertat,
Et referat tandem Laureaserta caput!

Doctissimo DN. Respondenti
Auditori suo maximè industrio
app.

PRÆSES.



Ad

Ornatissimum Dn. Respondentem Cogna-
tum & Amicum meum suavissimum.

Niteris egregiè Laudes æquare Tuorum,
Quos Virtus *claros* fecit & alma Themis.
Pergito sedulitate Tuâ superare Cupressus,
Sic etiam tandem præmia clara feres.
Ut præstare queas, voveo, non mente fucatâ,
Adsistat studiis semper JOVA Tuis.

Contestandi amoris ergò scrib.

JOH. CHARISIUS,
Beth. Sil. S. S. L. L. Stud.



00 A 6456

ULB Halle

3


002 929 244



R

Worm







B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

33.

35

ALLEGII

POLITICI

ORATIO QUARTA,

De

LIBERTATE, PAGO, ET
CIVITATE,

Quam,

in Academia, Celeberrimaq; Mar-
burgensi Academia,

Optimo Maximo adspirante,

Oratore Philoſophicâ ſuffragante,

PRÆSIDE

VIRO Praclarisſimo

GREBENIZ,

Marchico, Fautore & Præce-

ſſore ſuo ætatem devenerando,

ſubſtitutus Ejusdem collectam diſpu-

tandam proponit

Martii loco horisq; conſtitutis,

MATTHIAS POLENIUS,

in. March. AUTOR.



RASMI RÖSNERI,

Anno 1654.

